DE
CALCULIS SALIVALIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR.

DIE XI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXV.
H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
JOANNES PETRUS WEBER
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:
J. HERBRAND, MED. CAND.
A. HEYNE, MED. CAND.
W. WOLFF, MED. CAND.

BEROLINI,
LITTERIS AUGUSTI PETSCHII.

CALCULORUM SALIVALIUM SEDES.

Calculi salivales vel glandulis ipsis vel earum ductibus impositi reperiuntur. Utplurimum in ductu Whartoniano et Bartholiniano, saepius sinistri quam dextri lateris, propioresque ductuum orificiis quam eorum initiis inventi sunt. Multo rariora exempla exstant quibus calculi in ipsis glandulis submaxillaribus et sublingualibus, pauca denique quibus in parotide et ductu Stenoniano detecti sunt. Interdum etiam salivalia instrumenta relinquunt et in finitimam telam cellulosam propelluntur. Calculi nempe si vias salivae plane obstruunt et irritando largiorem salivae fluxum sollicitant, a saliva protrudi nequeunt, quo facto ductus salivalis praeter modum expanditur et, expansione celerius facta, rumpitur, ita, ut nova via calculo pates-

cat. In glandulis inflammatione et suppuratione concitata simul cum pure per partes vicinas diffuso, sedem primitivam relinquere queunt.

Figura calculorum variat, vel globosa, saepe ovalis et oblonga. Interdum forma phaseolis, nuci avellanae, nucleis prunorum et amygdalis similis reperitur.

Nec minus differt superficies; est enim plana, saepius sulcata, scabrosa et salebrosa, imo interdum sulci tanquam ossium impressiones vasis effectae, apparent.

Colorem prae se ferunt vulgo cinereo vel luteo albicantem vel album, aut intus album extrinsecus canum flavescentem et spadicarium, raro punctati sunt vel striati.

Textura aut tam dura est, ut plagis mallei resistant, vel friabilis, ut digitis pressi in plures partes dilabantur; texturae etiam porosae et spongiosae, raro lamellis instructi et nucleo praediti sunt, cujus color differt. Crystallorum texturam nemo observavit.

Ambitus interdum perexiguus est, velut seminis milii, quin hoc minor. Magnitudo autem interdum amygdalas imo ovum columbinum, pondusque drachmas nonnullas ad septem aequat. Plerumque autem pondus granorum decem ad viginti non excedunt.

Indolem chemicam inquisivit Fourcroy (System des connaissances chimiques, Tom. VIII. pag. 368) et partes constitutivas detexit calcariam phosphoricam cum materia animali conjunctam. Bostock chemice exploravit calculum magnum, qui nihil nisi calcariam phosphoricam exhibuit. Wollaston et John (Meckels Archiv 1820 pag. 602) compererunt concrementa parotidis, maximam partem calce phosphorica et materia animali constare. John (Meckels Archiv 1820 pag. 603) duos calculos submaxillares et sublinguales exploravit, obtinuitque calcem phosphoricam et gluten animale.

Analyses omnino conspirant, calcariam phosphoricam unicam partem constitutivam calculorum salivalium sistere, praeter materiam animalem quae fere omnibus animalium concretionibus inest. Structura et indoles calculorum augurari jubet fere omnes eandem naturam chemicam prae se gerere.

Prius quam generationis rationem, quantum fieri potest, indagare conamur, organorum salivalium secreta naturalia et praeternaturalia examinare placet. Saliva partibus salinis, aqua et materia animali, cum salibus conjuncta, constituitur, sed aquae quantitas multo excedit eam

ceterorum humorum secretorum. Mille partibus salivae insunt aquae partes nongentae nonaginta duae aut tres ita ut humor aqueus oculi minorem aquae molem nempe] nongentae octoginta una partes offerat. Hanc salivae indolem minime generandis calculis opportunam esse, quisque concedet. Differt autem partium solidarum copia in diversa aetate. Hartmannus (Nova acta phys. med. Tom. III. pag. 4) circa hanc rem experimentum fecit: Collegit octo uncias salivae e juvene temperamenti sanguinei, pleno corpore praedito, e viro triginta sex annorum temperie sanguineo cholerica, et e vetula sexaginta quatuor annorum melancholica, singulis ceteroquin sanis; vasculis murrhinis infusam imposuit balneo arenae nonaginta graduum F. Praeterlapsis sex horis salivam juvenis uncia una et dimidia et scrupulis duabus, viri uncia una et drachmis tribus, vetulae uncia una et drachmis quatuor deprehendit minutam. Juvenis saliva tandem post undeviginti, viri post viginti et dimidiam, vetulae post viginti tres et quadrantem horae in materiam tophaceam conversa est. Juvenis saliva grana viginti septem, viri triginta sex, vetulae quinquaginta quatuor hujus materiae exhibuit. Aetate provectiori etiam multo

magis et saepius quam teneriori a norma recedit et tantummodo unum legi exemplum calculi salivalis in puero formati.

Salivae analysin chemicam Berzelius instituit. Mille salivae partes continent:

Materiae animalis	partes	2,9
Muci	—	1,4
Salium alcalino muriaticorum	—	1,7
Natri muriatici cum materia animali conjuncti	—	0,9
Natri puri	—	0,2

Mirum ideo est salivam neque continere Calcem neque Acidum phosphoricum, quibus calculi salivales constituuntur.

Gay Lussac contra praeter illas substantias salivae inesse Calcariam phosphoricam et magnesiae phosphoricae aliquam partem expertus est. Tam penitus autem cum materia salivae mucosa (aqua non solubilis) conjunctae sunt, ut acida in eas non reagant, nisi materia combusta sit. Berzelius quidem dicit, substratis solummodo calcis et acidi phosphorici saliva gaudere et combustionis processu calcariam phosphoricam formari. Contra monent chemici galli, acida minorem affinitatem cum calce phosphorica, quam cum ejus substrato, calcio, porten-

dere, ideoque verisimilius calcem phosphoricam et magnesiam phosphoricam cum materia mucosa conjunctas esse.

Haec materia est, quae ut opinor, si in acino glandulae quodam majore copia salis phosphorici imbuta et largius secernitur, ad calculorum salivalium genesin occasionem largitur.

Nonnulli quidem putant, hanc materiam nihil nisi oris mucum cum profluente saliva commixtum, esse. Sed opinio eo refutatur, quod saliva, simul atque e ductibus effluit, collecta, eandem quantitatem hujus materiae offert, eademque est in ptyalismo.

Glandularum salivalium, injuriis externis ob situm superficialem et prope oris cavum satis obnoxiarum, functio non raro a norma recedit, id quod diversa quantitas salivae, diversis temporibus, quae saepenumero fit, testatur.

Alienis quoque substantiis et salibus impraegnata saliva observata est. Auctores, ammonium, ammonium phosphoricum, acidum phosphoricum interdum continere, memorant; dulcem nonnunquam et acrem ita, ut sensatio in ore acerbissima oriatur, deprehendi. In Hypochondriari salivam salsam, in cacochymia humorum et in phthisi pulmonali purulenta, muriaticam animadverti, tradunt.

Color alienus in morbis hepatis et ictero praecipue evadit, nempe flavus, croceus, aliusve.

His elucet, salivae partes constitutivas vario modo mutari, nec non fluidarum ad solidas partes rationem. Hujusmodi exemplum sat memorabile adduci meretur: (Philos. Transact. A. 1672 pag. 4062.) Viro, cui calculus sub lingua excisus est, quem per octo annos jam pertulit frequenter et repente omnes glandulae oris intumuerunt assumta cerevisia aut cibo. Tandem vertigine correptus est a vere ad Augustum mensem circiter continente, quo mense sine ulla praevia causa, locus, ubi calculus reconditus fuit, intumuit, coepitque profluere materia purulenta e ductu Whartoniano, qui fluxus cum subito desiisset, tumor insigni inflammatione summum suffocationis periculum advexit; dolor fuit maximus, si fluidum deglutire conabatur. Haec perdurarunt quinque dies, quo tempore saliva tenuis fuit, aquae similis et sine bullis; secundo die erat spumosa et salsa; tertio die summopere lentescebat ac praeterea foraminulum supra calculum apparebat, unde materia purulenta, uti antea, proveniebat; quarto die saliva insipida fuit, in ore evidenter frigida, modice spumosa; quinto die eadem ac quarto, sed relinquebat tantam viscositatem dentium,

ut saepius cohaererent tanquam conglutinati essent. Lapis, qui facta incisione, removebatur oblitus erat graminei coloris materia, quae exsiccata calculum subalbum, reliquit.

Haec salivae per breve temporis spatium mutatio, a supra memorata glandularum aucta incitabilitate, cum frequenter intumuissent, praegressis levioribus causis, deduci potest.

Propensio organismi in lithogenesin, conditionibus faventibus sese in glandulis salivalibus manifestabit; allicitur nempe, si organi cujusdam secretorii functio non integra est et certo modo a norma recedit. Varias deviationes salivae a norma supra exposui; praeterea intima inter materiam mucosam et calcariam phosphoricam germanitas, si major hujus salis copia secernitur, calculi originem fovere videtur, nam materiam conjungentem praebet et interstitiariam, qua fere omnes concretiones gaudent neque non calculi salivales uti analyses demonstrant.

J. Barth. Siebold (historia syst. salival.) calculorum salivalium originem explicat e stagnatione et viscida qualitate salivae; in ultimo, ait, ranulae stadio omne fluidum salivae consumi, viscidum concrescere, eoque calculum gigni. Sed huic opinioni multa contraria sunt:

1) In glandulis ipsis et origine ductuum salivalium, quo loco stagnationes et ranulae non occurrunt, calculi salivales inveniuntur.
2) Observatorum fere nemo mentionem fecit, ranulae calculo salivali praegressae, quod fieri oportebat, quum hoc vitium satis sit manifestum.
3) Tumor, qui calculum recondidit, inde ab initio durus multis in casibus animadvertebatur.
4) Ranula plerumque, si per aliquod tempus jam existit materiam viscidam, albuminosam continet, rarius calculos, qui, si adsunt, magis causa quam effectus ranulae existimantur.
5) Frequentius ranula aetate infantili quam adultiori observatur, sed calculi salivales in illa fere non animadvertuntur.

Ranulae plerumque ortum ducunt ex aphthis et ulceribus parvis, quae osculum ductus Whartoniani occupant et inflammationem et obstructionem provocant, quod etiam calculis fieri potest; interea saliva accumulata ranula oritur, sed haec saliva est sincerae indolis et vix concrementis formandis idonea, etiamsi resorptione partibus fluidis magis minusve privetur, quo fieri potest, ut materia arenosa, quam

Chapdeville in ranula observavit, aut caseosa, quam Loder (mediz. chirûrg. Bemerk. Th. I.) in ranula vidit, exoriatur; sed calculos eo modo aegre generari puto.

Concrementa in glandulis orta aut ibi remanent, aut canales intrant; fluxu salivae propelluntur et interdum pedetentim eliminantur. Transitus per canalem non raro inhibetur, calculus locum, quem occupat, nonnunquam per longum tempus tenet, plus minusve augmenti capit pro salivae qualitate, et incommoda et affectiones, de quibus infra loquar, causatur.

Liceat hic de incrustationibus dentium quaedam proferre, quippe quae argumentari mihi videntur, salivam incrustationes praestare, etiam si non multum a normali indole recedat, nam illa dentium crusta, quae vulgo tartarus vocatur, non raro in hominibus observatur, imo in animalibus, nempe belluis et jumentis. Homines, qui dentibus parum curae impendunt quorumque dentes saliva ubertim non alluit, sed in interstitiis stagnat, inprimis homines rhachitici, scrophulosi et arthritici, crustam illam tophaceam nobis portendunt. Plerumque est livida, lutea, interdum extrinsecus nigra in illis, qui tabaci fumum immodice hauriunt, aut scorbuto laborant. Fourcroy, Wol-

laston et Mitchill chemice crustam examinarunt et e calcaria phosphorica cui parum calcis nitricae admixtum, compositam, experti sunt; teste Wollaston perparum calcariae carbonicae accedit. Bruckmann crustam quae animalium dentes obducit, quaeque metallicis splendoris et lamellosae texturae est, materia spermati ceti simili, adjecta calcaria phosphorica, constare detexit. Berzelius analysin crustae dentium instituit et in centum partibus invenit:

Salis phosphorici terrei	partes	79,0
Muci nondum decompositi . . .	—	12,5
Materiae salivalis specificae	—	1,0
Materiae animalis acido muriatico non solubilis	—	7,5

Circa originem hujus crustae variae sententiae ditae sunt: nonnulli pro secreto alveolorum ii pro materia ossea dentibus exsudata habent, ii e saliva, muco et pulte ciborum aëris acces- u evocatam materiam putant; aut cinerem mu- in dentium superficiem praecipitatum. Sali- m aliquid conferre ad tartarum formandum uet ex analysi a Berzelio instituta nec non eo, od dentes inferiores anteriores, inprimis eo- m superficies posterior saepius aliis crusta ducuntur, quippe quo loco saliva oris con-

fluit et cum lingua fere semper palato duro adposita sit, saliva illo loco moratur. Mihi videtur materia mucosa quae calcem phosphoricam continet, accessu aëris, calore et aliis ita mutari, ut illam minus alliciat itaque concretionem ejus permittat. Mutatio hujus materiae si diutius dentium radices ambit sese manifestat odore foetido.

Calculi salivales in viris hucusque frequentius quam in foeminis observati sunt; numerus enim eorum, in sexu potiori et sequiori inventorum aequat 2 ad 1. In adnotatis historiis circa hanc rem unum tantummodo inveni exemplum calculi formati in puero 8 annorum, duo in hominibus undeviginti annorum, quinque in viginti aliquot annorum, multo plura autem in eis, qui jam quadragesimum annum aetatis excesserant.

Plures calculi in tumoribus nonnunquam nidulari reperiuntur Scherer (dissertat. inaugural.) Tidicaeus (nov. act. acad. nat. cur. T. III. pag. 4) duo lapilli involucro sub lingua inclusi subasperi observavit. Trecourt (memoires et observ. de chirurgie) Hannes (nov. act. nat. cur. Vol. V. pag. 105) „militi cuidam suppurabat parotis dextra, cum pure lapillus prodibat, sequebantur plures alios." Blasius (obs. med. rarior.

obs. 14 et 17) plures calculos diversis temporibus e glandula sublinguali proveniisse refert.

Iteratae calculi formationis exemplum exhibent act. acad. nat. cur. D. 9—10 pag. 402: „Vir quadraginta annorum sub lingua tumorem sensit subito exortum, qui leni commotione exemtus atque inventus fuit lapis oblongus. Tribus annis post, noctu, quod linguo volutabat novum calculum prodiisse expertus est."

De praegressis affectionibus fere nihil adnotatum est. Arnemann (Magazin 1. Bd. pag. 416) exhibuit historiam morbi juvenis viginti unius annorum, qui per quatuor hebdomadas quotidie quatuor granis mercurii dulcis usus est; salivatio inde secuta, cum regimine apto sese non addixisset, rursus evanescere coepit, sed tumor, inter processum mastoïdeum et angulum maxillae inferioris ortum, simulatque salivae fluxus minuebatur, increvit. Calculus, quem tumor continebat, texturae lamellosae in ol. tart. p. deliqu. prorsus fere solubilis atque ponderis nonaginta quinque granorum fuit. Alio in casu vir, cui lapis excisus est, retulit, calculum generari coepisse in hyemali expeditione maritima, qua frigus intensissimum perferre cogeretur.

EFFECTUS CALCULORUM.

Symptomata a calculis glandularum aut ductuum salivalium procreata hic exponam.

Frequentissime uti jam dixi collocati sunt in ductu Whartoniano aut Bartholiniano. Dolor sub lingua vel juxta angulum maxillae inferioris oriens, fixus, interdum pungens, primam molestiam plerumque sistit; gradus variat, siquidem levior est vel atrocior et non raro ad pharyngem, aures, et collum extenditur. Valde augetur loquendo et masticando. Tumor simul cum dolore, aut serius, magis minusve durus et circumscriptus ad latus frenuli, sub lingua animadvertitur; partes adjacentes magis minusve intumescunt, salivae largior fluxus irritatione nonnunquam provocatur nec non intumescentia glandularum salivalium cum dolore, quibus febris interdum accedit (Leautaud Journal de medic. Vol. IV. pag. 54) (Philos. Transact l. c.)

Affectiones plane evanescunt, si calculus aut arte removetur, aut sponte prorumpit, quod interdum impositis tumori remediis emollientibus fieri solet. Nonnunquam etiam calculo superstite, sponte, aut emollientibus adhibitis, dolo-

res

res mitigantur aut sublevantur simul cum intumescentia, sed redeunt plerumque pristina cum indole. Referre placet historiam in miscell. acad. nat. cur. Dec. 9 — 10 pag. 320 expositam: foemina per decennium quovis vere et auctumno dolore sub lingua cum motu difficili laborabat. Denique dolor satis vehemens evasit et lingua aliquantum intumuit; impositis emollientibus prorupit lapillus instar nucis avellanae, tum lingua movebatur. Similis rationis exempla extant in Ephem. acad. nat. cur. Dec. I. ann. III. Obs. I. Boneti Septentr. pag. 303. „Mulier per longum tempus gravissimum dolorem sub lingua perpessa est et licet remiserit tamen reversus et post motum linguae atrocior factus est, incisione eo loco facta, lapillus durus repertus est." Hic pertinet etiam exemplum in Philos. Transact l. c. cujus mentionem jam feci. Molestiae nempe a calculo, quem per octo annos jam pertulit, increvere, increscente calculo, praecipue ad omnem frigoris sensum, quo frigore cessante, etiam cessarunt.

Nonnunquam vero intumescentia et inflammatio partium calculo vicinarum non compescuntur, crescendo maximos dolores, praecipue conatu edendi et fluida hauriendi, et alias diffi-

cultates, imo obstructo transitu per gulam, summum periculum inducunt.

Hanc inflammationis intensitatem suppuratio subsequitur. (Ephem. acad. nat. cur. Dec. III. ann. 5—6 pag. 573.) (Phil. Transact. ann. 1698 pag. 440.) (Act. litter. et scient. Sueciae Vol. IV. pag. 178.) Vir dolore intra os infestabatur, cui mox colli et praeprimis faucis inferioris induratio accessit. Malum per quatuor aut quinque hebdomadas augebatur, inflammatione eo usque invalescente, ut per aliquot dies aegerrime vesci posset, dein plane non, et dolor acerbissimus fuit. Partes sublinguales maxime intumescebant. Solventia frustra adhibebantur; nunc sub lingua punctum fuscum; in conatu pultis nonnihil sorbilandi lapillus prorupit cum aliquo impulsu, bucca sanie et cruore impleta fuit. Lapillus erat colore griseo albicante, cum puncto subnigro, forma et magnitudo nucis olivarum minoris.

Discrepant a supra descriptis affectionibus, quod tumor doloris plane expers invenitur, quanquam haec exempla supra memoratis rariora sunt. Tumor aut nodulus ad latus freनuli sub lingua exsurgit sine ullo dolore, vel tandem sensu molesto stipatus, raro autem buc-

cinandi, et nisi exiguus est tumor, loquendi difficultates desunt. (Krysing Ephem. acad. nat. cur. Dec. 9 — 10 pag. 402.) (Baster Act. acad. nat. cur. Vol. VIII. pag. 57.) (König Ephem. acad. nat. cur. Dec. II. ann. 10 pag. 210.) (Plater Obs. lib. III. pag. 707 ibidem Kentmannus refert „de Tubicine, cui tuberculum sub lingua surrexit duriusculum et diuturnum et doloris prorsus expers, cum accrevisset et buccinandi impedimentum fuisset, chirurgus incisionem fecit et calculum extraxit similitudinem habentem cum arefacta et excorticata lauri bacca.")

Mirum in modum calculi hujus generis tumorum non fuerunt minoris ambitus, imo nonnulli sat magni, uti Nova act. phys. medica Tom. III. pag. 4 viri quadraginta unius annorum historiam exhibent, cui calculus prunorum nuclei formam et figuram referens, longitudine unius pollicis et ponderis drachmae unius excisus est; postquam per aliquot hebdomadas de salivae lentore conquestus est, sensim sub lingua ad latus frenuli locum osculi ductus Whartoniani sine dolore intumescere sensit. Succrevit tumor et adeo induruit, ut vasa premeret et impedimentum linguae objiceret. Quin etiam

demum integro trimestri spatio illa contigit calculi magnitudo; unus ejus apex sub lingua, alter extrinsecus sub mento prodibat.

Dolorum acerbitas quoad augmentum calculi, ejus superficiem et formam, denique sensibilitatem aegroti diversa est; interdum autem pendere videtur a nervorum adjacentium, praeprimis nervi lingualis, pressione et irritatione, cum hic prope ductum Whartonianum situs sit, nec inflammatio semper ad doloris gradum respondet. Augetur pressio et dolor simul cum procedente partium tensione et intumescentia inter inflammationem. Jam frigore, quo fibrarum tonus et tensio augetur, dolor provocari potest, uti supra memoravi.

Defectus doloris explicari solet superficie plana calculi et ejus collocatione. Forsan discrimen in eo est, quod tumores, qui plane doloris expertes reprehenduntur, a calculis, qui ductui Bartholiniano impositi sunt, originem ducunt, contra illi, qui dolore stipantur a calculis qui in ductu Whartoniano nidulantur. Praeterea nonnunquam materia viscida calculos obducit, atque impedit, quo minus laesione noceant.

Subito affectiones desinunt calculo vel sponte, vel incisione, remoto. Pus simul cum eo ef-

fluit si inflammatione magis provecta partes adjacentes corripiuntur.

Plerisque in casibus vulnus facile consolidatum esse, neque fistulas salivales neque ranulas superaccessisse scriptores commemorant. Hartmannus (Act. phys. med. Tom. IV.) sese expertum esse aït, calculum circa exitum ductus Whartoniani prosiluisse et foramen prope hujus orificium postea sine damno patuisse.

In ranulis interdum calculi inveniuntur, neque dubitari potest, quin generationi ranulae ansam praebuerint. Bell monente plerumque ranula originem hoc modo ducit. Plura nempe conspirant, quae favent; salivae fluxus tardior in ductu Whartoniano; flexura hujus, quae, antequam in os aperitur, angulum rectum fere aequat; dein ostium, reliqua ductus parte arctius; calculus eo usque progressus, quo minus prorsus e ductu eliminetur, impeditur. Osculum, quod incitabilitate majore gaudet, mora calculi constringitur, tum externis injuriis, cum corpus durum inclusum teneat, justo magis lacessitur, plane obstruitur coarctatione, vel exsudatione, vel corrosione, ita, ut saliva profluere nequeat, sed in ductu accumuletur. Hoc modo ad latus frenuli tuberculum conflatur, quod digiti pressioni aliquantulum cedit, mo-

bile, haud dolorificum, frigidum, est coloris sub ortu albidi. Inter initia magnitudinem pisi refert, quae ad ovi anserini ambitum succrescere, quin ipsum cavum oris plane implere potest. La Faye duas ranulae species distinguit: unam sub lingua sitam, formae rotundae; alteram ad latus linguae sublongam; illam expansione ductus Bartholiniani, hanc expansione ductus Whartoniani ortam. Res mihi videtur mira quod calculis magnis in ductibus ranula non accedebat, sed saliva profluere non desiit.

Calculi quoque nidulantur in glandula sublinguali et submaxillari. Inflammatio, suppuratio interdum provocatur et ulceratio, nisi causa mature removeatur, subsequi potest. Hujus rei testes sunt Blasius (Obs. med. rarior. n. 14—17) qui uno in casu calculum e tumore glandulae sublingualis vehementer dolente prodire vidit, altero in casu diversis temporibus calculi cylindracei et foraminulenti ex eadem glandula provenerunt. Hannes (Act. acad. nat. cur. T. V. pag. 105) juxta angulum maxillae inferioris militis tumorem durum, magis magisque increscentem et dolentem, observavit. Adhibitis cataplasmatibus et laxantibus, mollescebat tumor. Prope radicem linguae etiamnum animadver-

tebatur. Deglutitionis difficultas rediit. Emollito hoc tumore et inciso pus effluxit. Triduo elapso rediit tumor et reliquae molestiae, emollientibus impositis, denuo pus exstillavit. Specillo immisso corpus durum sentiebatur et calculus extrahebatur. Arnemann (Magazin 1. Bd. pag. 416) exemplum tradidit ulceris extrinsecus orti ¾ pollicis profundi. In puella viginti quatuor annorum tumor extus in collo adfuit, sensim sensimque adhibitis cataplasmatibus fluctuatio apparuit; incisione facta, loco puris, latex fuscus effluxit. Ulcus malae fuit indolis, constitutio aegrotae labefacta. Dilatatione instituta massa dura detegebatur; quotidie per quatuordecim dierum spatium, particula prodiit, oleo tart. p. deliqu. solubilis. Singularum partium pondus aequabat drachmarum septem et granorum quindecim. Walter (anat. Museum 1. B. pag. 135) etiam calculum in glandula submaxillari observavit.

Denique recensere liceat concrementa parotidis. Nisi haec in parotide talem ambitum acquisiverint ut ductum excretorium ingredi nequeant, facilius, quam per reliquos ductus salivales, per ductum stenonianum proficiscuntur. Experientia tamen comprobat, obstrui posse lumen, unde fistulae salivales natae sint. Primo

sese offert tumor cylindricus, fluctuans, qui sensim sensimque amplificatur, denique rumpitur et salivam accumulatam effundit. Calculi nonnunquam in parotide restant et augmenta capiunt, ita ut tumor extrinsecus animadvertetur, qui durus et circumscriptus est. Interdum dolet aucta digiti pressione.

Si calculus majorem ambitum acquisivit et superficiem habet tuberculosam, facile confundi potest cum degeneratione scirrhosa hujus glandulae, quae etiam tumorem circumscriptum et durum sistit sed immobilem plerumque et si longius degeneratio provecta, dolore lancinante praeditum; immobilis quoque fuit tumor, a calculo formatus, cujus mentionem fecit Arnemann (Magaz. 1. Bd. pag. 418) quemque prospero cum successu removebat et calculum ponderis drachmae unius et dimidiae inveniebat. Morgagni in parotide foeminae, quae apoplexia periit calculum detexit. Calculi etiam hic loci inflammationem et suppurationem ciere possunt, cujus rei exemplum offerunt Act. acad. nat. cur. (Tom. V. pag. 106): „cum pure lapillus prodibat, magnitudine pisi, quem plures alii sequebantur."

PROGNOSIS.

Generatim prognosis secunda auguranda est. Si calculi sedem aut in ductu Whartoniano aut Bartholiniano habent, facile removentur et tali modo effectibus recensitis occurritur. Valde metuendum est, ne inflammatio ejusque sequelae facile provocentur, cum partes raro quiete fruantur; haec timenda sunt, si tumor magis dolere et amplificari coepit. Inflammatio superveniens prognosin reddit pejorem, quae interdum ita augeri potest, ut deglutitionis et respirationis maximae difficultates nascantur, cum causa nunc aegerrime amoveri possit. Abscessus subsequentes, nisi mature aperiantur, per partes adjacentes facile propagari possunt. Calculi glandularum salivalium difficilius eliminantur.

CURA.

Si concrementorum salivalium praesentia certo constat, de eliminatione eorum cogitandum est. Etiamsi experientia docet, concrementa saepe et sine damno sponte prorupisse, tamen alienum est, hunc finem exspectare, si perpendimus tumorem minus aut majus incommodum parare, vel inflammationem, fistu-

lam et ranulam causari posse; contra operatio nihil difficultatis habet, nisi concrementa glandulis aut initio ductuum includantur.

Calculi, qui prope osculum ductus positi sunt, interdum prodeunt, si osculum ope specilli dilatatur. Sin autem hoc modo eliminatio perfici nequeat, ope forficis osculum sufficienter incidi debet. Calculi in posteriori canalis parte, incisione eliminari debent. Ad figendum tumorem, spathulam inter eum et linguam poni conducit, cujus ope simul lingua ac latus contrarium prematur; tum scalpello incisio ad calculum usque ducatur, quae ad ambitum ejus respondere debet, dein calculus eximatur digito aut forcipe. Dispiciendum est, an plures adsint, neque particulae decerptae remaneant, quae facile crescendo, iteratae tumoris formationi occasionem suppeditant. Calculi ductui Stenoniano impositi etiam incisione removeantur. Salivae fluxus impedit, quo minus totum vulnus consolidetur, ideoque necesse non est, chordam vulneri imponi.

Inflammatio accedens coërcenda est adhibitis cataplasmatibus emollientibus, quae intensitatem ejus, fibrarum tensionem et simul corporis inclusi pressionem minuere valent. Si

magis inflammatio exculta est, praeterea apparatus antiphlogisticus in usum vocari debet.

Multo difficilius est operatio ad calculos glandularum amovendos, minori autem cum periculo perfici potest, quam exstirpatio partis glandulae degeneratae, cum calculus, incisione ad eum usque facta, minori cum labore enucleari possit.

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS

ADJECTUM.

Natus sum, Joannes Petrus Weber, Hibernoregii, oppido cisrhenano die II. Maji anno MDCCCII, patre J. Casparo Weber, matre Elisabetha e gente Geiger. Primis litterarum rudimentis instructus, Gymnasium, quod Bonnae floret, concessi. Absolutis humaniorum studiis, per biennium pharmaciae vacavi, dein militiae per anni spatium sasisfeci. Auctumno anni MDCCCXXI universitatem borussico-rhenanam adii ibique rectore claristimo Gratz civibus academicis adscriptus sum, die vigesimo mensis Decembris.

Per triennium, quod in hac universitate transegi, praelectionibus sequentibus interfui: Cel. v. Calker

le logice et metaphysice, Cel. a Münchow de phy-
ice experimentali, Cel. Nees ab Esenbeck sen. de
ɔotanice generali, Cel. Nees ab Esenbeck jun. de bo-
anice pharmaceutica, Cel. Bischof de chemia expe-
imentali, de phytochemia et zoochemia, Cel. Hüll-
nann de historia, Cel. prosectoris Weber de osteo-
ɔgia et neurologia, Cel. Mayer de anatomia generali,
peciali et arte cadavera rite secandi, item de anato-
nia pathologica et chirurgica, nec minus de phy-
ologia, Ill. Harless de pathologia generali et phar-
nacologia, Cel. Nasse de physiologia, anthropologia,
iagnostice, de therapia generali et speciali nec non
e morbis psychicis, Cel. Bischof de arte medicas for-
ulas concinnandi, de epidemiis animalium domes-
corum, Generos. a Walther de chirurgia, akjurgia
instrumentis chirurgicis, de ossibus fractis et fa-
iis imponendis, item de morbis oculi humani, Cel.
ein de utraque artis obstetriciae parte; institutio-
ɔus clinicis Cel. Nasse auscultans et practicans
erfui itemque lectiones clinicas Generos. a Wal-
er frequentavi.

Auctumno a. MDCCCXXIV Berolinum me con-
i, ubi, rectore magnifico Rudolphi d. XXVI. Oc-
ris in numerum civium academicorum receptus,
electiones Ill. Rust de chirurgia adii; exercitatio-
us clinicis Ill. Berends, ophthalmiatrico-chirur-

gicis Ill. Graefe et Rust interfui; in praxi obstetri
cia me instituit Generos. a Siebold.

Tentamine et examine rigoroso coram gratios
facultate medica absolutis, spero, fore, ut, disserta
tione thesibusque defensis, summi in medicina e
chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1.

Venae potius resorptione funguntur, quam vasa lymphatica.

2.

Angina membranacea non est indolis mere inflammatoriae, sed morbus sui generis.

3.

Tumores sic dicti lymphatici abscessus sunt, modo ab aliis diversi.

4.

Oxydatio sanginis potius fit exspirando, quam inspirando.